CETERAE VITAE VERGILIANAE.

PHILARGYRIUS.

P = cod. Paris. lat. 11308 saec. IX. vid. praef. p. XIII
N = cod. Paris. lat. 7960 saec. X. vid. praef. p. XII

VITA I.

IN NOMINE DEI SVMMI IN BVCOLICA PAVCA ORDINANTVR FONA.

Virgilius in operibus suis secutus est diversos poetas, Homerum in Aeneidis, Theocritum in bucolicis, Hesiodum in georgicis. et cum georgica scriberet, traditur cotidie meditatus a mane plurimos versus dictasse solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere.

tres modi locutionum sunt, quos *χαρακτῆρας* Graeci vocant, *ἰσχνός* qui tenuis, *μέσος* qui moderatus, *ἁδρός* qui validus intellegitur. tribus modis carmen inducitur. est enim modus *δραματικός*, est *ἐξηγητικός*, est *μικτός*. *δραματικός* est, in quo personae inducuntur, *ἐξηγητικός* qui et *διδασκαλικός*

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id415881102/29 UNIVERSITÄT LEIPZIG